



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Commentarius In Regulas Juris Pontificii, Qvæ In Libro Qvinto, Et  
Sexto Decretalium Continentvr

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Index Regvlarvm Lib V. Decretalivm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61853)

manæ fragilitati, quæ in numerosâ legum multitudine quasi labyrinthico perichitari solet, nisi rerum summa capita, & generales gromas præ oculis habeat, s. posse quemlibet iuris peritum, præter eas, quæ actu prostant, plures Regulas formare, fusiùs dicta in quandam quasi epitomen redigenda. Denique longè aliam esse rationem Regularum iuris, & illarum, quibus Ordinum religiosorum vita, moreque diriguntur, ut patebit consideranti materiam circa quam, finem, formam, & obligationem, aliasque circumstantias de quâ re legi potest *Hugo, Vmbertus, Car amuel in Reg. S. Benedict. & Nigronus in Comment. Reg. commun. Soc. Iesu s. Particula prima Regula.*

## INDEX

## REGVLARVM LIB. V. DECRETALIVM.

- E** Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.
2. Estote misericordes, &c. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.
3. Qui scandalizaverit &c. Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.
4. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam & Sabbatum custodiri præceptum est: Macchabei tamen sine culpâ in Sabbato pugnabant. Sic & hodie, si quis ieiunium fregerit egrotus, reus voti non habetur.
5. Quod latenter, aut per vim, vel aliâs licitè introductum est, nullâ debet stabilitate subsistere.
6. Cum in contemplatione &c. In ipso causæ initio non est à questionibus inchoandum.
7. Quæ multoties, &c. Quicquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis iniuste agitur, pro Sacrilegio reputatur, quia sacra sunt & à quoquam violari non debent.
8. Qui ex timore facit præceptum, aliter, quàm debeat, facit, & ideo iam non facit.
9. Desleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus.
10. Quamvis causa, &c. Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.
11. Indignum est, & à Romana Ecclesia consuetudine alienum, ut pro spiritualibus sacris quis homagium compellatur.